


EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Xe. 31.*





ORATIO DE  
S V R D I T A T E  
ET M V T I T A T E :

Q V Æ S T I O

*An, & quid Grandini in sue  
cum Schorbuto in homine sit  
commercii :*

S A L O M O N I S A L -  
B E R T I M E D .

Pronunciata in æde arcis, insignia  
Doctõris accipiente

M. E R N E S T O H E T T E N -  
B A C H I O M E R G E T H V -  
M E N S I F R .



N O R I B E R G Æ .

A N N O

C I D I O X C I .

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

NOBILISSIMO  
IOACHIMO A SCHULEN-  
BURG, MAGNIFICI ET  
strenui viri, Domini RI-  
CHARDI filio  
S.



*E* ergo, Joachime Schulenburgi  
nobilissime, ingenii ad amplissi-  
mam dignitatem expectati,  
hasce meas pagellas non pigebit  
pellegere: quas paucis diebus illis, quibus pa-  
tri tuo, viro nobilium scientissimo, & scien-  
tium nobilissimo Medicinam feci, sic à me  
elaborari haud potuere, ut palato erudito-  
rum saperent: quippe quae nimis valde di-  
luta, & propè insipida sint. Sed quid tum?  
Quales enim cunq; sint illa, ut cunq; elabo-  
rata, in optima spe sum, tam à loco, quam à  
patrono suo genium ipsis conciliatum iri.  
Ipse locus Liebenauu pietatis & humanita-  
tis castrum est, asylum musarum, tum gra-  
tum Deo, tum hominibus acceptum: quo ni-  
hil sanctius, nihil religione munitius. Patro-  
nus vero filius eius viri, in quem iures om-  
nes Gratiarum cuncta sua dona certatim effu-  
disse: à quo postea sua loco gratia. Neq; e-  
nim domo dominus, sed domino domus ho-  
nestatur.

nestatur. Quæ ergo domi tuæ nata mihi  
sunt, ea nomini quoq; nuncupare tuo, &  
quasi in clientelam tuam dedere visum est:  
neq; spero committes, ut vel animi mei can-  
dorem negligas, vel exiguitatem muneris  
extremo in numero penes te habeas. Qui-  
bus thura non sunt, iis vel salsa mola litare  
haud religio fuerit. Macte virtute Joachi-  
me, in hoc enixè incumbe, ut avum, cujus  
nomen refers, verè cieas, & præclara facta  
patris tui exprimas, utriusq; avita & pa-  
terna possessionis germanus heres. Quod ut  
possis, sicut audere, & hac in re specimen da-  
re nobis, tuiq; adeo periculum facere jam  
dudum occæpisti, Deum tibi propitium ve-  
lim, cujus unius nutu ductuq; in tramite  
virtutum hanc ætatem tuam decentium,  
pleno passu progredere, ac benè feliciterq;  
in ipsis adolesce, ad gloriam Dei, ad decus  
domus tuæ, & reipublicæ emolumentū, quæ  
voti mei summa est. Vitebergæ 21. Aprilis.  
anno Jesu Christi M D XCI.

Salomon Albertus.

ORA-



## ORATIO.

**R**odeunti in publicum, imperiorum facies contentione bellorum misera atq; miseranda, status Christianæ reipub. iis periculis quæ in venis & visceribus eius penitus inclusa sunt, tractus & laceratus, deniq; immoderata atq; intoleranda morum huius seculi licentia, aurem vellere mihiq; concionem suggerere ac dictare videntur, à qua in consensu hujus theatri ordiendum sit. Quorsum enim aspexeris, in quemcunq; mundi cardinem oculos converteris, ac circūtuleris, utiq; cernes omnia in pejus devergere, nutare, pessū ire, labi: succussa ab inflamatis tyrannorum atq; ignitis furoribus, à motibus bellorum ubiq; terrarum & gentium gliscentibus, quorum exitus incerti à nullo adhuc prospici possunt. Dicam summatim, quæ vel longissimā orationem desiderant: Versamur in status, qui nūc est, qualiscunq; est, præcipiti conversione, in communium temporum inclinatione, in perturbatione rerum omnium. Ac jam dudum nobis quasi gemitus universæ naturæ exaudire licet, tam

A 3 suam

suam ipsius indolentis, quàm Ecclesiæ vicem commiserantis, seq; à vanitate, cui propter furores mundi subjecta est, gestientis tandē deonerare. Causæ tot & tantarum miseriarum, calamitatumq; ingentium cū præsentanea conjunctarū perniciē reipublicæ Christianæ, illis magistris, qui scientiā profitentur annorum climactericorum ferē in eas conjiciuntur periodos, quas metitur atq; percurrit annus quingentesimus: quorum quidem frivola & superstitione fucata triscurria, Iovam imperia pro libitu constituentem & transferentem de cœlo deturbant: Democrito in natura Deorum nutanti haud abfimiles, & calculis numerorum (quemadmodum ille atomorum) licentia ad nihil non abutentes, in fatis regnorum fatui ipsūq; regem fatorum, quantum in ipsis est, imperio abdicantes, cujus unius dominata illa nunc citius, nunc serius affluunt. Nulla vis est numeri, nullū jus ipsius calculo, nullum omninò in regna mundi imperium: Sed necessitas inclinationis eorū ferri accepta debet uni ἐφόδω, id est, insultui morborum, qui sapientiæ Sirachi sunt ἀδμῖα καὶ ὕβρις, injustitiæ & petulantia: propter has singuli omnium impe-

imperatorum, non secus ac in nobis toto  
vitæ curriculo ætatum, anni ad interitum  
fatales sunt, non quòd tum septies septua-  
ginta anni completi atq; decursi sunt: ipsæ  
illæ periodorum metas præcipitant, &  
fatum univèrsi mundi tandem quoq; ac-  
celerabunt, quod quotidie imminet, ne-  
que jam longè abesse potest. Quod si sua  
cujusq; vitæ spacia, divina virtute citan-  
tur, & retardantur, cur imperia eadem po-  
tentia artari, vel prorogari posse diffida-  
mus? Non sunt contractæ manus Dei, non  
restrictæ. Nutant ergo regna ad nutû Dei  
non euntia, non momentis temporû. Cæ-  
terû quæ medicina rebus desperatis quæ-  
renda est? Non alia, quàm Iosaphatus ad-  
hibuit, cû ad extrema jam ventum esset,  
& spes & res in nova clæ acumine pone-  
rentur, à summo & unico Deo petenda,  
fatorumq; occursum opponenda.

Te igitur, æterne Deus, patrem o-  
mnium, te Iesu Christe, σωτήρα ἡμῶν, te  
Sancte Spiritus, deitatis in utroq; locum,  
advocatum nostrum unicum. Te inquam  
Τριάδα Μονάδα precatione pia, verisq; ge-  
mitibus appellamus, præsto nobis sis tua  
gratia in circumstantibus periculis: da ut,

A 4 qui

qui usq; adhuc desipuimus, transeundo  
lineam & limitem legis tuæ, resipiscamus  
seriò, vereq; ad te conuersi, vitam emen-  
demus in melius, & ab inquinamento  
carnis & spiritus nos mundemus. Si pec-  
cavimus, si prave & nequiter egimus, da  
de pectore te orantibus veniam: Sit de-  
lictis nostris obtentui Filius tuus unige-  
nitus, præter quem non est nobis apud te  
*μεσίτης ἢ ἰκέτης* alius: qui proxenata inter-  
venit, & nomina ex codice rationario ex-  
punxit, *λύτρω* pro nobis in solidum per-  
soluto, ne quid debeamus; hunc tibi per  
fidem & preces offerimus, hunc ante fa-  
ciem sistimus tuam, sacerdotis partibus  
fungentem: in hoc uno fides nostra me-  
ritò subsistit, & salus omnium nostri insi-  
stet. Hoc stratagemate etiam athleta Ia-  
cobus antagonistam devicit suum, sibiq;  
in obsequium devinxit, benedictionem-  
que ab eo impetravit. Tu scis quousq; la-  
ceri corporis imperii vires, & vis univer-  
so imminens orbi valeant. Assere & tuere  
Illustrissimum Electorem Saxoniae, Prin-  
cipem nostrum inter clementes clemen-  
tissimum, inter Christianos Christianissi-  
mum, sua in statione atq; provincia pro  
lege

lege & grege strenuè excubantem : sinas  
ipsi contingere propitè pater vitam pro-  
lixam, ditionem & administrationem rei-  
publicæ securã & pacatam, tutam domũ,  
senatum fidelem, populum probum di-  
ctoq; audiètem, & quæcunq; Principis &  
subditorum jurisdictioni ejus vota sunt.  
Sera in hac seculi præcipitantis clausula  
penes nos aram & focum tuum, & ἀναζω-  
πυροῦντα flatum tuum assiste, indue verbi  
tui ministros veritate & robore, mysteri-  
a q;, quorum ipsi œconomi sunt, facta te-  
sta præsta: placeat tibi in hac Sarepta no-  
stra titubantium labiorum hostia grati  
odoris, propter unigenitum filium tuum.  
Furor sit, pfectò furor, ab alio hæc orare,  
quã à quo scimus nos consecuturos: tu es,  
tu unus, qui deles iniquitates Israël, & o-  
rata nostra præstas: nos vero, quibus de-  
betur impetrare. Tuæ misericordiæ nun-  
quam senio conficiuntur, quin quovis di-  
luculo, immò vero in singula penè mo-  
menta renovantur ac redintegrantur.

Hæc visum est præfari de statu hujus  
tēporis, cui si rectè riteq; suo quisq; loco  
servierimus, & in ultima anxietate ad di-  
vinam providentiam confugerimus,

A 5 Domi-

## *Dominus providebit.*

Nunc porrò ad id accedā, quo de agere in præsentiarum institui, differamq; de surditate & de ἀλαλία seu, ut sic dicam, mutitate, quæ vitia hæctenus plerisq; confusa sunt, tanquam ἀμφω ἀπ' ἀμφοῖν ἀχώριστα, idq; minus subtiliter, & brevius quàm res desiderat, deflectendo in sententiarū divortia. Principio etsi constat sensibus neminem vivere mortalium: si tamen vel uno itemq; altero deficere, integritatem protinus amittes, ut ope sensuum ἐν ζῆν nostrum unusquisq; meritò censeatur. Aures captant τὰ λόγια ἐξαγγελικῆ oracula, in quibus semita religioni, pietati, salutis sternitur & aperitur: deq; auditione illorum Spiritus Sanctus fidem intus succendit, ut corde credere ad justitiam possis. Quid ad hæc lingua sermonis dædala? Solenne ac scitum est illud Apostoli: Ore confessio fit ad salutē. Hoc cardine probè versato, qd jam quæso erit inter miserias humani generis, quanta quanta illarum ἰλιὰς est, omninò miserius, quàm auribus captum esse, & sermone, quo à bruta natura distare nostra videtur, destitui?

stitui? Namq; duo hæc sunt ὄργανα ὀργάνων, ad vitæ subsidia comparata, magnaq; ex parte ad retinendam humanæ locietatis conjunctionē instituta: sine quibus civile illud & populare in mortalium genere (πολιτικόν græci vocant) protinus claudicet necesse est. Ad hæc nobis quæ defunt, neq; discere, vel aliunde acquirere ipsi, neq; alios docere, aut quæ habere videmur, impartire ipsis quimus. Gemina vitia audiendi loquendiq; Aristoteli non discerni videntur, aut minus accuratè, cui in 4. historiae animalium cap. 9. κωφοὶ ἐκ γρετῆς πάντες καὶ ἐννεοὶ: Surdi qui à natura & prima origine sunt, iidem & muti, quæ locum philosophus ex Hippocratis libro περὶ σαρκῶν suum in usum transtulit. Causam addit in physicis problematibus: Quoniam μία ἀμφοτέρων ἀρχή, idem audiendi & loquendi initium est. Hujus vestigiis insistit Alexander Aphrodisæus 1. probl. 133. qui non solum allegat eo loci, nescio quos è medicis veteribus, sed & ipse placita eorum comprobat, ratus iidem par esse nervorum cerebri, cujus una portio in linguam defigatur loquendi, altera auri impingatur audiendi officio delegata,

legata, atq; inde communem accidere affectionem. Vtraq; copulantur etiam Imperatori Iustiniano, qui sic à natura laborantes, ut neq; audire, neq; loqui possint, privat potestate condendi testamenta, codicillos faciendi, fidei commissum reliquendi, & mortis causa donationes, aut alia hoc genus celebrandi. Lactantius trita via relicta, alia ingreditur mirifica atq; insolenti. Vox obmutescit, inquit, & facultas loquendi defit in iis, quibus sicut gulæ iter ad os tantum, ita gurgulio ad nares solùm patet, errorisque damnat, quotquot aliam causam, cur homines muti sint, indagare conantur. Neq; arbitratur tales vincam gerere linguam, sed vocalem illum spiritum per nares quasi mugientibus prodigi atq; profundi; quia enim vocis transitus ad os, aut nullus omnino fit, aut obseptus minusque patens, quàm qui plenam vocem possit emittere: atque inde fieri de loquentibus mutos. Quod cum usu acciderit, auditum simul obstrui, vocemq; idcirco non admittere hominẽ, quia emittere non potis sit. Hæc non tam argutè, quàm absurdè à Firmiano dicuntur, quibus nihil firmamenti aut  
soli-



Soliditatis acquiri posse videtur, ut con-  
trà existimandum sit, haud supinè accipi-  
entibus, neq; valde multæ discussionis  
res indiget. Quid enim nervis & muscu-  
lis aurium cum spiritali fistula, hoc pacto  
ad nares solummodò forata, commercii  
est? Quid? quod neq; nutriri sic possit  
quisquam mortalium, neq; omninò vi-  
vere, (tenor namq; vitæ victu sustinetur)  
cibi commeatu ad extremas oras palati,  
ubi faucium colles exstant, propter obje-  
ctum intergerini atq; interstructi parietis  
neutiquam pertinente, aut indidem re-  
pullam patiente. Bipatentes fenestræ na-  
narium *πόροι τῶν πνευμάτων* organumq; spi-  
randi sunt, non os, nisi fortassis affectio a-  
liqua cogat, ut scribit Avicennas. Atque  
hinc nares appellatæ sunt, quod per ipsas  
odor & spiritus nare soleant, non potu-  
lenta, multo minus esculenta, quorum  
nullum in naribus (sicuti quidam voluê-  
re) examen est. Et constat Elephantis *προ-  
νομγίαν ἢ προβοσκίδα*, promuscidē (Aristo-  
teles communi voce *μυκίηρα* indigitare  
solitus est, à rauco sono tubarū *μυκασμῶ*,  
quē per nares ædit) tam ficcum, quam hu-  
mectum cibum arripere oriq; ingurgi-  
tare.

tare. Verum in his diutius immorari non  
allubet, neq; fertratio temporis. Postre-  
mò si nomina νοήματα, ἢ τῶν πραγμάτων ὁμοι-  
ώματα, rerum quædam simulacra sive sig-  
nacula sunt, græcorum grammaticorum  
senatus patrociniò suo sententiæ de sur-  
ditatis cum mutitate consociatione suf-  
fragabitur, cui & ipsi in sua & vernacula  
lingua prædicta vitia reciprocantur, atq;  
ultrò citròq; commeant, unoq; præiense,  
alterum è vestigio velut succedaneū con-  
sequitur. Nam Εννεὸς à Suida & Hesychio  
exponitur non solùm ἄφωνος, sed & κωφός:  
Vicissim κωφός græcæ nationi & surdum &  
mutū significat. Hinc in scenis κωφὰ πρὸς-  
ωπα, mutæ personæ. Et Gregorio κωφός  
ἀλαλός est, Etymologo μὴ φηγεσόμενον,  
Aristoteli Εννεὸς, Hippocrati in coacis præ-  
sagiis ἀναυδόν. Quanquam autem ἀυδη i-  
dem quod φωνή est veteribus, organi dia-  
lectici atq; sermonis dædali propria: ta-  
men ad aures quoq; Lactantio refertur,  
quæ ab auditu per immutationem litteræ  
audes appellatæ sunt, ab hauriendis voci-  
bus. Vnde illud Virgilio: vocemq; his au-  
ribus hausi. Breviter in aure mutua est lo-  
quendi & audiendi relatio. Quis credit  
audi-

auditui, id est, sermoni nostro? vaticinādo  
exclamat Esaias. prima linguarum unius  
vocis **שְׂרָף** cheresch ambitu tam surdum  
quam mutum cōplectitur. Sed nolumus  
esse dictionum aucupes & venatores. Et  
huc usq; de conjugatis vitiis.

Sed enim eadem mala discreta quoq;  
sunt, tum natura à primo ortu, tum ex ac-  
cidenti sive eventu: idq; comprobari ex  
historia anatomes, autoritate multorū,  
& fide experientiae abundè potest. Ac ut  
eandem in rationem, qua adhuc usi su-  
mus, incumbamus omni studio, eodem-  
que, quo cœpimus, filo p̄grediamur, pri-  
mū anatome nobis ante oculos statuit,  
distincta nervorum paria, à quibus tam  
linguae, quam auribus suum demensum,  
sua portio œconomicè distribuitur atq;  
dicatur. Et quidē de quinto pari audien-  
di nervus appellatus, aurium corneolos  
introitus subit: Septimum maxima sui  
parte in villos musculorum linguae inte-  
riores solvitur, eosq; multifariam in ser-  
mocinandi ministerium intexit. Hinc ge-  
mina quoque medendi ratio nata est, à  
Christo archiatro exercita & usurpata in  
historia Evangelica, ubi & digitos auri-  
bus

bus furdi insinuat, & linguam aut vinculum hujus in muto attingit. Neq; hic obstare debet aut potest, quod à communi principio & origine ambo paria defluunt, & quod principiorum & propaginum facilis est mutua inter se contagio: quando tam substantiæ modo diffident abs se invicem, quàm intercapedine locorum, è quibus emergunt. Quintum par ut mollius & tenerius est, sic quoq; anteriùs: contrà septimum, ut durius, ita posteriùs & propiùs exortum dorsalis medullæ locatum, ut par alterum seorsim injuria affici queat, incolumi interim altero. Etsi autè nervi, qui magistris anatomicarum administrationum recurrentes vocati sunt, è sexta conjugatione per colli declivia, utrinq; secus lissas ad inferna demissi, cum neutro pari, neque quinto, neq; septimo, participatum habent: quid tamen vocinauent, deq; suo ad claritatem ejus conferant, vel hinc manifestum satis atque testatum est, quod uno duntaxat in latere cæso aut læso recurrente, animal protinus semivocale, in utroq; mutum evadit, prorsus interit, si qua ipsos injuria unà cū sociis vasis jugularibus eliserit. Hic infici-

as

asire non ausim, in naturæ vel aberratio-  
ne, vel genitalis feminis sanguinisq; ma-  
terni luxurie, usu venire aliquando posse,  
ac solere, ut vel discretorum nervorum  
propagines complexæ invicem coale-  
scant (cujusmodi conjugia etiam in bra-  
chiis arborum sæpenumerò animadver-  
tere est) vel ἐπίχυροι, magni insignes &  
crassi nervi numerosius findantur, sicut  
αἰζυρία tam cerebri, quàm dorsalis me-  
dullæ non rarò compertum est in corpo-  
ribus cumulatè augescere. At enim neq;  
Iustiniano Imp: ejusmodi vitia semper  
sibi concurrunt. Aristotelis autoritatem  
quod attinet, etsi ineptiæ sunt, & inane  
studium, supra philosophum philosopha-  
ri: tamen sibi constare ipse haud videtur,  
quippe qui vndecimæ problematū phy-  
sicorum primo statuat, auditum vocemq;  
ab eodem initio proficisci, & surdos ab  
ortu naturæ propè abesse, ut muti sint: Et  
paullo post in quarto ejusdem sectionis,  
idemmet denuò inculcet, ut in historia  
quæ leguntur de affectionis communi-  
tate obiter ipsi excidisse videantur. Vt si-  
leam interim de eo, quod in lib. περὶ αἰσθη-  
σεως cap. I, Εἰνεὸν ἐκ γένετ', mutum à prima

B

ori-

origine præponit τὸ κωφῶ: cum contrā fi-  
eri debeat: immò surdū simpliciter dixif-  
se, satis superq; sit, quando τὸ ἄλαλον suc-  
cedaneū est τὸ κωφῶ. Quinetiam Iustini-  
ano, ut aiunt, aqua hæret, utroq; nutanti  
velut in æquilibrio, & vix habenti, quod  
decernat, aut δογματικῶς hac de re consti-  
tuat, tametsi autumat perrarò accidere,  
ut hoc infortunium in mortalibus discre-  
tum sit, surdoq; vocem articulatam à na-  
tura indulgeri: quo de videbimus postea.  
Quæ in Lactantii schola præter sensus fi-  
dem nata sunt, de ore ad fauces usq; non  
perforato, & gurgulione ad nares solūm  
patente, ea ad gentem ἀσόμων releganda  
sunt, quam conditor naturalis historiæ ad  
extremos Indiæ fines ab Oriente circā  
fontem Gangis prodit esse sine ore, solo  
ali halitu, & odore florū, radicū, malo-  
rumq; sylvestrium, absq; cibo & potu vi-  
tam tueri suam: sive natura loci succos  
stirpium pomorumq; totos in odores re-  
digat, sive humanorum corporum humo-  
res illic resolvat in Spiritus, ut simile simi-  
li nutriri possit. Verum his ut commenti-  
ciis Strabo fidem abrogat, & habet in nu-  
mero fabularum. Quare & nobis ista va-  
leant.

leant. Porro hoc in confesso est, & experientia constat, vi, casu aut interventu morborum alterutrum duntaxat ex duobus vitiis obvenire posse. Vbi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, gens quæ locum illum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi perinde orbatur, atque intuentibus adversum Solem ejus radiis acies sua sensusque vincitur. Quorum pertinent clangores, fragores, bombi tormentorum *πυρφόρων*, quibus extremus & planè gigantæus mundi furor fulmina et tonitrua mentiri ac repræsentare sategit. Sæpe auditus solum intercipitur, prohibito, aut non excepto perceptivæ appulsu *ἄκυστων*, id est, audiendorum, vel *ἄκυστηρίσ*, id est, auditorii virtute vel effœta, vel emortua: quorum posterius signum in morbis acutis mortem in limine esse annunciat, & vitæ expectationem adimit. Sic paralysis linguam, verborum dædalam solvit, adempta animæ spiritui libertate manandi aut velificandi, quò & quâ viâ affectat, nempe in musculos linguæ, unde homo fit *ἄναυδος*: quando solennis est mutua sympathia & syntimoria principiorum,

& quæ ab ipsis propagantur. Non rarò etiam filum linguam præpedit, partibus oris infernis, & in umbra velut occultatis ipsam substringens, quod me opte exemplo adversus Lactantium testari possum, cui vinculum linguæ ope chirurgorum ἀγκυλοτόμῳ tertium solutum est, prorsus eo pacto, quo in docilibus avibus assolet, ut non voces tantum hominum modulentur, sed & verba discant & reddant. Tale vitium græcis ἀγκυλόγλωσσον, vulgo filum, & cujus lingua eo revincta est, hebræis מְלִיץ illem, quasi ligatus appellatur. Muto dæmoniaco opitulatur Salvator noster Matthæi 9. 12. Lucæ 11. Zacharias voce privatur ab angelo propter ἀπιστίαν, qui interim exsurdatus non est, & super nomine filii concertantes cognatos non solum ex nutu gestuq; notare, sed & audire potuit.

Hæc sunt sententiarum divortia, ultrò citròq; hæctenus à me ventilata. Nunc eadem ad βάσανον sive lydium lapidē exigenda sunt, ut quantum momenti & ponderis habeant, constare omnibus possit, itaq; suum cuiq; solidum, quod plerique suspensi expectatione videntur require-

re,



re, solum iri à me confido. Quin casu  
quopiam aut injuria, tam externa, quàm  
interna facultatum alterutra audiendi  
vel loquendi interverti possit, superstitie  
altera, planè nihil dubium est: & vt hæc  
res paullo testatior esset, rationibus & te-  
stimonio experientiaè hæctenus commu-  
niimus, exemplisq; suppositis demonstra-  
vimus. Naturaliter hoc accidere potest,  
ut à primo ortu quis mutus sit, at surdus  
non perinde. Nec enim rectè cōcluditur,  
neq; necessaria consecutio est: Mutus hic  
est. Ergo & surdus. Mutus enim fuit Athis  
Crœsi filius, & per ætatem, qua fari pos-  
set, etiamnum infans atq; elinguis: idq;  
vitii ex ipsa natura statim à puero habuit:  
tum primum vero, cum multum adolevis-  
set, articulatè exclamavit: ὦ ἄνθρωπε μὴ  
κτείνε Κροῖσον: mi homo, non occide Crœ-  
sūm, quando in genitorē deducto gladi-  
o hostis cogitabat impetum facere: quo  
quidem contento oris rictu annixuq; no-  
dus linguæ disruptus, ipseq; per omne  
indè vitæ tempus locutus est. Similem ob  
causam Samius athleta, ut est apud Gel-  
lium in noctibus atticis, cum primum lo-  
quens non fuisset, loqui non turbidè neq;

B 3

hæsi-

hæsitanter occœpit. Ipse novi, puer adhuc  
Noribergæ in mea patria quendam ori-  
undum ex familia Thranerorum, à vitæ  
primordio mutum, sed qui profectus æ-  
tate rem honestè quærere posset faciun-  
dis mercaturis, negotiator scitissimus &  
probissimus. Doct<sup>9</sup> is olim fuerat in Lau-  
rentiano ludo, quem frequentaverat, si-  
mul litteras, simul numeros: sicut filium  
Croesi, & Samium prius sermonē auditi-  
one accepisse, sensimq; assuescendo didi-  
cisse, vero consentaneum est. Audiunt er-  
go muti, & disciplinam accipiunt, institu-  
tionemq; admittunt auribus, quæ sunt in-  
strumentum ad excipiendam ab aliis ar-  
tem, scientiam, sapientiam, longè accom-  
modatissimum. In surdis contrà est, illis  
nempè, qui nascentes secum id vitii attu-  
lère, id est, qui surdi nati, non facti sunt.  
Qui enim locuti ex ipsis sint, nullos vidit  
nostra ætas adhuc, neq; visura est postera.  
Non enim sunt naturaliter surdi, ut non  
iidem sint muti: Et cui auditus primò ne-  
gatus est, huic & sermonis usus ablati:  
Hippocrati: οἱ κωφοὶ ἐκ γενεῆς ἐκ ἐπίσαν) δια-  
λέγεσθαι: surdi à nativitate differere nesci-  
unt. Quî autem hoc? quando hæ calamita-  
tates

tates non sunt confatales, neq; ambo perpetuò inter se sociata infortunia conveniunt. A Iubentio Celso memoriæ proditum est, nullum unquam exstitisse surdum in natura rerum, qui penitus non exaudisset, si quis supra illius cerebrum locutus esset. Subtiliter id quidem cogitatum existimatur. Atqui demiror ego, cur Celsus non dixisset malit in aures, in quibus audiendi, sicut in oculis cernendi officium constitutum est: quàm etiam ad cerebrum & hujus amplitudinem directum iter est, & proximus aditus, indidemq; vis audiendi non aliunde manat. Verum enim verò audiant sanè surdi, ut cominus audire metipse deprehendi, præsertim excellentia *αισθησις*: ceu sunt voces vibratæ & acutæ, stentorei clamores, tonitrua, nolarum & campanarum pulsus: hæc ipsa tamen liquidò non exaudiunt surdi, sed absurde, & dolenter, hebetiaq; nec satis emuncta auditus organa, solius impulsus insolentia validè citoque laceffuntur, pervelluntur, fodicantur. Meminit Bartolus cujusdam Lelli de Gabriellis Eugubini, qui omnino surdus esset, sed ingenii tam perspicacis, ut homines quan-

tumcunq; secretò loquentes, de solo vibratu labrorum posset intelligere, sermocinantiumq; sententias planè prodigioso aucupio venari. Inauditum mihi nuper est de alio naturaliter furdo, qui nomen suum, et orationem Domini exarare potuit. At enim mutum Lellum arbitror ego fuisse captum auribus, id est, à puero et ineunte statim ætate, organis corporis etiánnun tenerioribus et obsequentioribus naturæ, exaudire potuisse: sicuti capti oculis Servio illi dicuntur, qui aliquando viderunt. Ægrè mihi persuaderi patiar, ut credam, Lellum alias litteras vocumq; modos potuisse notare, quàm quarum ad explanationem opus est labiorum compressione, quarum tamen perpauca sunt: contrà multò plures, quas linguæ volubilitas, ejusq; acuminis in palatum argutissima et agilima illisio, dentium item offensio, et rauca aspiratio gutturis absolvit. Hæc in gratiã Bartoli de Lello muto. Alter ille brutus scriba haud dubiè litteras fingere, atq; æmula manu pingere didicit, more ejus Elephanti, quem græcorum elementorum ductus perdidicisse, et ne quid admirationi desit, etiam perscribere

bere solitum, prodit Cœlius.

Porro nunc quoq; de mutorum voce videndum etiam atq; etiam, paulloq; diligentius. Vox unicuiq; à natura inest, cuius luculentum specimen statim initio ædimus flendo, dum ex ergastulo volvæ matris, quo delitescendum hæctenus fuit, in lucem excedimus, neq; ullus fuit tam mutus unquam, tam impeditæ atq; substrictæ linguæ, quin vocem de se mitteret. Ast quomodo, et quam tu mihi vocem inquis muti? per nares, quorsum cōpresso ore vocalis materia compellitur, spiratq; indè mutus plerunq; violentius: quippe nariū fenestræ tramitesq; earum transversi reciproco trajectu spiritus laxiores evadunt, per quos vox extruditur. Vocem ædunt muti inexplanatam, inarticulatam: *φωνὴ ἀναρθρον*, ex argumento inde *ἀναρθρόφωνοι* appellati, Hippocrati *μονόφωνοι*. Interim autem perperam statuit Aristoteles eos per nares loqui. Sit enim dialectus homini propria: non tamen φύσει ipsi inest, neq; viget ἐνεργεία, sed per disciplinam, *διδασκτὸν ἢ καὶ ἐνδεχόμενον πλάστειν*. h. e. tale omnino, quod et formari possit adhuc, & debeat doceri, organis,

B 5

quæ

quæ sermoni præfecta sunt, integris, et in-  
primis autem lingua, vocis inoffensum te-  
norem pulsibus suis in verba discernente,  
articulatimq; concidente. Cum autem  
sermo non in ore, sed in pectore nascatur,  
neq; *φωνή* græcis aliud sit, quàm *Φῶς νοῦ*,  
mentis lumen: videtur sanè mens non tã  
arbitra sermonis, quàm potius opifex pri-  
maria, sermo verò quasi cancellarius mē-  
tis esse. Dicam paullo clarius, argutius  
namq; et acutius nequeo: Aër sono ictus,  
et idea hujus imbutus, primum auribus  
per flexuosum iter ossiumq; temporalium  
cum multis anfractibus meatum intonat.  
Mox ubi intersepientem membranam,  
quæ sinui in ora interiore circumtendi-  
tur, trahaverit, mirifico naturæ stylo inter-  
no aëri, id est, spiritui vernaculo inscribi-  
tur, quo vectore per nervos auditorios,  
fornicata aurium penetralia intus succin-  
gentes, ad intimum sensum mentisq; sa-  
crarium trajicitur. De hoc mens novi ali-  
quid concipit et effingit, quod sit appulsæ  
ideæ consentaneū, exacte q; ipsi respon-  
deat. Et hoc videtur mihi *προῦπάρχον*, pri-  
mū quasi stamen aut semen sermonis esse,  
græcis *λόγος ἐν δὲ θέλει*, qui mentis inten-  
tione

tione intus præfiguratur. Hujusmodi mē-  
 tis concepta sive lumina, in spiritu tan-  
 quam in speculo refulgentia, perniciosissimo  
 motu cordi momento communicantur,  
 inq; aëre illic quasi consignātur, qui dein  
 respiratus à pulmonibus, et à plectro lin-  
 guæ denuò, sed expressiùs formatus exse-  
 ritur, et in aërē ad alios spargitur, qui est  
 λόγος προφορικὸς, minister prudentiæ, & a-  
 nimi scitissimus interpres, concepta ejus  
 audiētibus detegens. Atq; hinc est, quod  
 prolocutum eum dicimus, qui, animo  
 quod habuit, extulit, atq; (ut sic dicam)  
 expectoravit loquendo. Sed quis naturæ  
 in agendo industriam ulla vel indagine  
 peruestigare, vel orationis Venere asse-  
 qui, aut exactam illius organorum, qui-  
 bus utitur, (verbi gratia spiritus et calo-  
 ris, aut ἐνθέρμου πνεύμα) rationem un-  
 quam explicare pro merito queat? Pro-  
 vehor longiùs, et propè extra oleas. Ser-  
 monis igitur dociles sunt infantes ad vi-  
 tæ excellentiam, ipsisq; sensim ac pede-  
 tentim πρὸς τὸ λαλεῖν assuescendum: neq;  
 vocum dearticulatio in mille abiens va-  
 rietates modosq;, et ad infinitos mortali-  
 um usus insigniter accōmodata, secus ad-  
 disci iisdem debet, quàm garrulis & scur-

riliter streperis picis seriatim nostra ver-  
ba, canoris sturnis humani accentus, psit-  
tacus ἀνθρωπογλώττοις suum χαῖρε valeq;  
balbutientibus lusciniarum pullis modu-  
li à matre, quos constat ferè μελωδεῖν ἁ-  
μουσόντι καὶ ἀπωδόν, id est, canere inconcinni-  
us, moribusq; & versibus cæterarum aviū  
insuescere, ubi parvi adhuc canere exor-  
si, sese ipsi velut emancipaverint, è pote-  
state & convictu materno exierint. Nihil  
homo callet sponte naturæ, sine doctrina,  
sine magistro: neq; fatur, hoc est, nec so-  
nū ex significandi proposito ædit, nec signi-  
ficabilem ore emittit vocem. Ab eo, an-  
tequā ita faciant pueri, linguæ impoten-  
tes suæ, dicuntur infantes: cum id faciunt,  
jam fari: at nondum tamen loqui, secun-  
dum Chrysippum, sed ut loqui. Nam quæ-  
admodum hominis idolum, non homo  
est: sic cornicum, graculorum, puerorum  
primitus incipientiū fari, verba non sunt  
verba, quòd non loquantur, id est, voca-  
bula non scitè, neq; suo quæq; loco dispo-  
nant, λαλεῖν δεινοί, ἀδυνατώτατοι λέγειν, quod  
Sallustius consignatissimè imitari volens,  
loquaces, inquit, magis quàm facundi.  
Summa huc redit: Quicumq; surdus na-  
scitur,



fcitur, is consequenter & necessariò mutus fit oportet, cum nihil audiat, atq; idcirco suam ipsius linguam ad explanatam vocum impressionem nequeat condocere, obstante organorù non in lingua, sed in auribus ineptitudine, quò minus mens sese, quo vult, possit intendere. Ad hunc modum castigari debent illa Iustini-ani perperã permittentis naturaliter surdo facere omnia, & peragere, intestamento, in codicillis, in mortis causa donationib. Nec .n. vox articulata concessa ei est, cujus aures à prima origine obsurduere.

Pulcherrima hîc consideratio est, in qua multa oratione ambituq; verborum liceret uti disertis, nedum ornatè dicentibus, ac multò verò maximè eloquentibus. Mihi in hac panegyri scholastica spaciis brevioribus & populariter ambulandum fuit: utinam verò, quod quidem intendi, quoq; equis velisq; contendere, cum quorundã saltem, si minus omnium operæ precio. Sed in magnis vel voluisse sat est, si quod requirente vultu, suspensis animis et auribus abs te expectabatur, nequeas assequi. Faceffant hinc divinorum munerum arbitri & aestimatores iniquissimi,

mi, qui queruntur rationem surdis & mutis frustra cōtigisse, quæ nequeat se foras proferre, ac ceu explicare. Quis fabricatus est mutum et surdum, nonne ego, dicit Iehova? Fuere jam olim etiã non pauci apud veteres, haudquaquam temperantes sibi, quin eo vefaniæ proveherentur, ut (nescio quo malo genio hanc ipsis mentem immittente) naturam hoc nomine odissent, quod infrà deos essent: quos equidem crediderim, ne ipsa illa quidem sorte contentos fore, si adepti essent.

Planè ineptum est, figulum ab orgilla incufari, & quasi in jus vocari, cur sic, & non aliter currente rota sit formata. A quo primitus nos sati sumus, iners & ipse gleba fuit, architecto solummodò sequax suo: et adhuc quoquot nascimur, atq; in genitali matris arvo feminamur, quid sumus aliud, quàm aut informis indigestaque massa, de seminibus & sanguine *ἡμελγμένη*, casei instar mulcta, aut coagulatum glomus (in psalmo voce tam teutonice quàm latine consona *גולם* golem nuncupatur) quod solertissima manus artificis, domo animum depromendo, & ad virtutem igniculos insinuando, subinde  
more

more Phrygionis ad suum ipsius exem-  
 plar fingit, acuq; pingit, quo ad omnibus  
 numeris in ricamatum, sive picturatum o-  
 pus absolvatur. Si qui tibi defunt numeri,  
 non indignare, non succense fictori tuo:  
 illucescet propediem extrema temporis  
 consummatio, qua Deus plebem suam de  
 servitute mundi liberaturus, et, quod de-  
 fuit haectenus, larga manu redhibiturus,  
 diviniq; juris societate participaturus est.  
 Interim *εἴργε τὰ παρόντα*, acquiesce mero  
 Dei beneplacito, & quod es, esse velis,  
 quod non es, esse nolis. Quin hoc ipsum  
 quod es, quantum potes, ad gloriam Dei  
 impende, eoq; confortum tuorum utili-  
 tati observi. Propter te mundum machi-  
 natus est *φιλανθρωπία* opifex, te verò  
 propter se, nequaquam ociosum atq; supi-  
 num spectatorem operum rerumq; caele-  
 stium, sed tanquam divini templi sui anti-  
 stitem, simul immensæ Majestatis,  
 simul bonitatis summæ na-  
 vum & industrium  
 prædicato-  
 rem.

D I X I.


Q V Æ.

QVÆSTIO

An, & quid Grandini in sue  
cum Schorbuto in homine sit  
commercii:

RECITATA A

Iohanne Iacobo Alberto Vitæ-  
bergenfi, Filio.

 Voniam in eiusmodi materiam  
vestigium ponere visum est, quæ  
pusillitatem captus & ingenii  
mei longè excedit, sanctè mihi  
observandum est illud Enniani Neopto-  
lemi: Philosophandum paucis: Namque  
omnino haud placet, neq; etiã licet præ-  
fertim ei,

*Qui nova nũc primus miles in arma venit,*

Neq; dum ejus ætatis est, ut scitè in-  
terrogare, nedum de re non satis nota dis-  
ferere queat. Deinde ad augustissimã hãc  
concionem Magnifici & generosi Domi-  
ni Rectoris, inclitorum Baronum, nobi-  
lissimorum item, reverendorum & clarif-  
simorum virorum, præceptorum meo-  
rum charissimorum, & cohortem discen-  
tium, qua circumseptus sum, vniversam,  
mihi vel in primis respiciendum est: quo-

rum

rum aures teretes, intelligentiaq; iudicia  
puerilibus ac tritis minimè delectantur.  
Omitto de temporis, qua excludor, an-  
gustia. Quare jam modo in ipsa ingressio-  
ne aures meæ acclamatione præconis at-  
tici undiq; circumsonant: μή προσιμιάζω κἔ  
ἐπίλεγα. Atqui dicendum tamen, & pro-  
ponendum aliquid est in hac panægyri,  
idq; vigore privilegii, quod à nostris ma-  
joribus jam inde à jactis hujus scholæ fun-  
damentis gregi nostro indultum est: Etsi  
neq; τὸ πρῆπον, neq; quid, quo in loco, co-  
ram quibus, & quatenus dicendum sit,  
per ætatem callere potest.

Prius autem quàm ordiar, te etiam  
atq; etiam imploro atq; appello, concio  
augustissima, audientiamq; exoro tuam,  
quam tenuitas argumenti ne conciliare  
quidem sibi, nedum mereri potis est. Li-  
ceat enim mihi ejusdem juris participi  
esse, quo ante hac coævi alii gavisi sunt.  
Veniam mihi dante concione, nunc ad te  
veniam renunciate domine Doctor Er-  
neste vir clarissime, cum argumento,  
quod ab eo, quo de in disputatione nu-  
pera à patre meo charissimo, & abs te ul-  
tro citroq; dissertatum est, non alienum  
C sit:

fit: bonaq; pace tua quaero, an schorbutus id sit in genere mortalium, quod in suillo pecore grando, quando vir magnus & multarum rerum peritus in doctrina vestra, celebratusq; ingenii nomine, Gulielmus Lemnius, videtur hoc astruere, neque solum unū assimilare alteri, sed grandinem planè idem cum schorbuto facere voluisse: cuius autoritas, vel hoc nomine magni à vobis aestimanda est, quod quis character ac velut insigne, quodnam εἶδος τε καὶ ἦθος schorbuti, esset, ignorare profectò haud potuerit, quippe qui tot annis ac propè seculis jure gentilicio Selandis perquam familiaris sit atq; vernaculus. Etenim patria quæ sunt, quæq; dominascuntur nostræ, ut propiora, ita notiora plerunq; sunt, deq; iis alios rectius docere quimus. At enim hæc nuda & ἀλογὸς ἀυθεντία tibi fortè suspecta, minusq; accepta esse videbitur: neq; verò hoc immeritò, qui medicus sis λογικὸς, ac perinde absq; ratione vel loqui ipse, vel auscultare aliis erubescas, atq; consultus juris sine lege, Theologus absq; ῥητὰς scripturæ sacræ: quæq; rationis omnino expertia, aut his malè fulta sunt, claudicare tibi videantur

antur singula & universa, utpote altero, &  
quidem potiore crure artis defecta atq;  
truncata: nisi ex eorū fortē numero sint,  
quæ natura in secretiorem sinum penitus  
abstrusit suum, quæq; à mentis acie non  
aliter resiliunt, atq; ferrum sibi infictum:  
ceu constat esse in arte vestra multa ἀρρη-  
τα, ἀναίτιολόγητα, θαυμαστά, aut θαύματα θαυ-  
μάτων, extra sensus posita nostros, et imbe-  
cillitatē perspicientiæ humanæ exceden-  
tia. Tale iudicium de aphoristicis oracu-  
lis vestri præceptoris pronunciat atq; eti-  
am fert in historicis Suidas: de quibus cū  
meum iudicium nullum esse queat, since-  
rum ac subtile tuum meritò exquiritur.  
Verum age nunc ab ἀυθεντία appellemus  
ad rationes, deq; momentis harum vide-  
amus, ut possit adeo

#### Constare lupinis

Erva quid intersint: An schorbutus à suū  
grandine, & quid quantumve distet? Ger-  
mana certē sunt mala utraq;, & ἀμφω πρὸς  
ἀμφω mihi quidem symbolum non om-  
ninò nullum habere videntur.

Principio hoc est etiam vulgo notum,  
grandinem æquè vitium & maleficium o-  
ris esse, atq; schorbutus est, quod porcis

humum afflictis, paxilloq; dentibus ipso-  
rum interferto, lingua modò depressa,  
modo everfa, aliàs omnino etiam extra  
ἐρηκθὸς ὀδόντων exserta, potest ac solet ab ὑο-  
σκόποις explorari. Cur verò in mortuis hoc  
experiri maluerint apud Suidam coqui,  
divinare nequeo, neque fortè indagare  
nunc operæ precium fuerit. Hac labe  
quotquot sues infecti sunt, empturientes  
deterrent, aut si quem venditor fortè na-  
ctus licitatore[m] fuerit, is plerunq; mini-  
mum precii apponit, eò quod merx fal-  
lax, neq; sincera sit. Hinc accipimus jam  
olim etiã sues sic venisse, atq; emi solitos:  
Illasce sues sanas esse, habereq; recte lice-  
re, noxisq; præstare, neq; de pecore mor-  
bofo esse, spondes ne? Grando Polluci in  
ore est: Aristoteli ima crura obsidet: schor-  
butus in homine utrobiq; trophæa statu-  
it: suiq; signa foràs mittit, quæ oculis in-  
tuentiũ patent, & sub aspectum subjiciun-  
tur. At enim nō hisce duntaxat sedib. cor-  
poris grādines stabulantur stabiliunturq;  
sed in corpore πανταχῶς, passim veluti palā-  
tes in ambitu universi, tũ quoq; in intesti-  
nis carnibus, propemodum ut margaritæ  
in carnibus Ostreorum. Hac enim simili-  
tudine



tudine Athenæus uti, & margaritas qua-  
si ad genus porcorum abjicere non vere-  
tur. Præcipuè autem ibi emergere gran-  
dines ubertim videas, ubi corium depi-  
le, neq; setis densè obfitum est, & assiduo  
insuper contrectatu attrituq; quasi tene-  
rescit, sudoribusq; diffluit: omnium cre-  
berrimè sub alis, & secus inguina, ubi  
medicorum manu operantium senatui e-  
munctoria corporis statuuntur: quorsum  
natura, quicquid oneri sibi est, κατ' ὄσον re-  
legare ac velut exspuere assuescit. Quod  
si paullo benigniore ex succo grandis p-  
veniet, equidem non dubitârim interea  
temporis, dum subtus cute moratur, per-  
inde à ζωληκῶ calore animatum iri, atq;  
in bubulo pécure, & agrestibus feris, do-  
miresidibus perq; hyemè inertibus, sub-  
cutanei illi vermiculi, quos ab angoribus  
molestiisq;, quibus perrosa cute primo  
vere in lucem enituntur, vulgus Engern  
indigitat, à Dracunculo veterum ( Mau-  
rorum familia Venam Meden appellat)  
fortè ne hilum discrepantes. Hujus rosio-  
nis in direptis tergoribus vestigia exstant,  
si intempestivè jugulaveris aut fixeris, pri-  
usquam vulnera ipso bestiolarum enixu  
C 3 cuti

cuti inflicta, robore caloris in cicatrices  
firmiter coaluere, atque obfirmata sunt.  
Sed de hoc satis, haud scio an non etiam  
nimis.

Ingens praeterea adest tam in grandi-  
ne, quam in schorbuto scalpendi deside-  
rium, & in ore quidem pruritus tantus, ut  
tabulas, quibus pavimentum harae stra-  
tum atque compactum est, aegri sues diu  
noctuq; continenter arrodant, molestiam  
hoc pacto discussuri. Tergus ex fervido &  
retorrido succo solito squalidius est, velu-  
ti aestivis solibus terra indurescente situ.  
Adhaec posterioribus pedibus aequè non  
consistunt firmiter grandinosi sues, neq;  
se ipsi stantes sustinere, aut expeditè p-  
gredi possunt, quemadmodum cum schor-  
buto qui conflictantur, crurum suorum  
impotentes, vel in uno clivo fathiscere,  
non rarò etiam *λορδῶδες* contingit. Neque  
hoc sicco pede praetereundum est, quod  
praecæteris frequentius grandent sues  
*ὕγρόσπερτοι*, carnibus et corporis habitu  
succulentiore praediti. Eiusdem constitu-  
tionis homines schorbutum sanè quàm  
promptè incurrunt, à quo exsucca & ex-  
sanguia corpora, vestro testimonio ferè  
immu-

immunia ac tuta sunt. Et tantum quidem  
de germanitate & cognatione utriusq;  
vitii. Sed quid Sus Minervam? Nemo au-  
tem miretur, suem in hunc circum produ-  
ctum, eoq; litatum à me esse. Nam *ὕς*, re-  
ferente Clemente in secundo Stromate,  
tanquam *ἱὺς*, aptus viscerationibus, aut  
(ut Varroni visum est) à verbo, quod græ-  
ci *ἱύειν* immolare dicunt, nominatus esse  
putatur: quippe à sue immolandi primor-  
dia in auspiciis nuptialium conjunctionū  
sumta, adeoq; dignus ipse insigni nuptia-  
rum priscis habitus est, quarum instar tu-  
cum desponsa tibi medicina, & artium  
huic observantiū cyclo hodie celebras.  
Quod si in medium à me allatum proble-  
ma hujus momenti esse censes, in quo di-  
ligentia tua verferis, in grandinis intimā  
naturam, cui schorbuti nomen aliqui ad-  
aptare audent, penitus descende, & de  
utrisque vitiis iudicium tuum interpone:  
sin minus, stipe sive nummo theatro, id  
est, grandinoso me absolve, & bona cum  
venia dimitte. Cæterum satis huc usq;, &  
satis. seria namq; philosophia, ad hasce lu-  
dicras collusiones, parum apta mihi esse  
videtur, tametsi ipsis illis, à me dicta quæ  
sunt

sunt haecenus , vnicum hoc mihi propo-  
nitur , ut , si quid ignoro , discam , si quid  
scio , nunc ubi labar , observem : neq; opi-  
nor Gratiis causam inde datam esse , ab  
hoc congressu nostro exfulandi. Dixi.

## R E S P O N S I O A D Q V A E S T I - O N E M.

**S**I Gulielmi Lemnii , cuius mentio  
abs te facta est , Iohannes Iacobe ,  
super problemate tuo commen-  
tatio etiamnum extaret , utiq; eo labore ,  
quem tu mihi videris imponere , nunc su-  
persederem. Neq; enim nova , quod dici-  
tur , ilias post Homerum meditanda , neq;  
rationes Lemnii pensiculatiùs aestiman-  
dæ , ac momentis ponderandæ suis essent ,  
quod solummodò malè fultis usu acci-  
dit : Etsi rimanti , qui paullo sit ad excogi-  
tandum acutior , nunquam subtilitas de-  
esse solet. Proinde una me libri penuria  
exumbratili exercitatione , in hunc eru-  
ditum pulverem detrudit , in quo ita le-  
niter versabor temperateq; , ne vel clepsy-  
dræ oblitus fuisse , vel nimium indulgen-  
do

do pastui ingeniorum genios audientium  
interim defraudare voluisse cuiquã pos-  
sim videri. Nam & mihi ejusdem Enniani  
Neoptolemi, de quo supra scripsisti, con-  
silio opus est: qui degustandum ex philo-  
sophia censet, non in eam ingurgitandũ.  
Sed ad rē, & ad id, in quo ejus cardo ver-  
titur, nunc statim accedam, ubi in patro-  
cinium tui saltem unum hoc velitationi  
meæ compendiò præmiserò. Si eorum,  
qui pascendi pecoris disciplinam habent,  
experimentum testatum est, unde didicē-  
re ipsi, verrem, ubi paullo ante admissu-  
ram supra modũ incanduerit, adeò scro-  
pham inficere, ut quotquot inde nascun-  
tur porculi, ex æquo omnes mox ab ipso  
ortu grandere necessum sit: jam in suillo  
pecore grando, perinde ut in homine  
schorbutus, trium erit generum: *συμφενης*  
vitio satus: *ζύντροφος* à scropha impertita  
lactentibus, quanquã hi philosopho pla-  
nè immunes sunt: deniq; quæ ex conta-  
gione deinceps acquiritur, quando à  
mundis infecti neq; separantur, neq; se-  
orsim pascuntur. Idcirco boni subulci o-  
lim ad foeturã duobus mensibus verrem  
secrevère, priusquam admitteretur. Est

omnino sus hebetis quidem ingenii, ast  
animi ingentis, ei que præter cæteras ani-  
mantes plus illius à natura datum: quem  
ubi irritatus, laceffitúsve fuerit, tanto pe-  
rè commoveri constat, ut animus ipsi  
quasi profilire in os videatur, quem dein  
dentibus strictim presseq; collisis subinde  
instigare, ac tanquam in cote (ut sic lo-  
quar) exacuere solet. Quo quidem tem-  
pore humores in corpore suis supra mo-  
dum ζείην, suffervescere atq; ebullire cre-  
dibile est: documento est το ἀφρώδες, quod  
ore crebrò jactat, æstuq; identidem reci-  
procantis animæ abs se respuit. Sed &  
hoc verisimile est, fervore illo in verre se-  
mē, περιττώμα ultimi alimenti partium uti-  
lissimum, graviter infici, atque inde in fœ-  
ta scrophæ etiam nutricium sanguinē (qui  
tertium est primordium animalium) con-  
tagione pollui ac contaminari: unde po-  
steà illa tam mali feminis soboles. Chry-  
sippus sui animam dicit pro sale datam  
esse, ne putresceret: at enim crediderim  
ego & animum, vel partem hujus, in qua  
irarum existit ardor, ob eandem ipsi caus-  
sam additum esse. His nimirū fomitibus,  
quicquid est in humectiore & uvidiore

COR-

corpore superfluum, præcoquitur quasi atq; digeritur, ut videatur natura carnem suis ad nobiliorem escam quadantenus condivisse: cuius vestigiis nos ritè insistentes, in gallis gallinaceis idemmet audemus, quos non nisi ad iram concitados, virgularūq; verberibus probè exercitos, in usum medendi jugulamus. Quin etiam de Indicis gallinis, Calecuti primum nostras in regiones exportatis, & in triclinium ganearium è culina, ppter hominum fastidia introëuntibus, adeoq; de agrestium ferarum genere universo, experientiæ fide constat, exercitiis jugibus & assiduis, carnes illarum tenerescere, gulæ sapidiores obsoniisq; multò gratiores evadere.

Cæterum longius extra fixa mihi *σνάμματα*, & septa evolandum non est. Vtcunq; autem ptædictorum vitiorum, grandinis & schorbuti societas magna sit, fraternaq; germanitate, & germana fraternitate ambo inter sese alterum alteri convenient: non tamen in paucis abs se invicem etiam dissident, eaq; ppter Lemnio *ὁμόψυχοι* esse non possum. Sua nãq; utriq; idea est, suus character. Ac succus quidem, unde grando primùm suppullu-  
lat,

lat, cùm ὁμοιομερέσει, neq; ita varius, ut  
qui schorbutum committit, tùm benigni-  
or quoq;, & ad alendum magis idoneus  
est. Cumq; in nutrimentum succus ille  
amplius non faceffat, grandentes fues fe-  
rè emaciari contingit, aut saltem ali mul-  
tò, quàm antehac deterius. Et est cur cre-  
dam, consimilem hïc in sanguine ebul-  
litionem fieri, qualis solet in exanthe-  
mibus, tametsi non pestilentem, ast interim  
tamen contagiosam: quo nomine labe  
proserpendo cæteris contubernalibus  
suibus ocyus affluit, ni à mundo pecore  
infectos, sicut homines leprofos, ab alio-  
rum confortio, se creveris atq; sequestrâ-  
ris. Quæ si ita sunt, ut esse sanè consenta-  
neum est, quid jam quæso aliud erunt in  
sue grandines, quàm ἐκζέματα, ἐκζέσματα,  
ἢ ἐκβράσματα, id est, pustulæ quasi bullien-  
do genitæ in incensa atque effervescente  
carnium substantia, si præsertim experi-  
mentum, quo de paullo superius, ipsum  
sibi constiterit. Adhæc minera schorbuti  
per vasorum in universam partium rem-  
pub. ἀναστομαμένων, id est, osculatorum fi-  
nes, veluti aquæ ductus tam in gingivas,  
quàm crura, immò verò (si plusculum ma-  
teriæ



terix subfit ) in ambitum corporis, seu  
*ναυσιώσει* seu *ἐρεύξει* exspuitur. Grando  
contra infidet altius, depressa & quasi de-  
mersa in carnes suilli pecoris, quas more  
papularū *κατὰ τὸ συνεχές* pervadit pertun-  
ditq; donec tandem robore & vi agentis  
naturæ vel in partes, quæ sub lingua sunt,  
teneriores, vel in fauces, opportunitate  
glandularum injuriis magis obnoxias, vel  
deniq; ad emunctoria alis inguinibusq;  
adjacentia emerferit. Ad quæ Athenæi  
illa in dipnosophistarum lib. 3. cap. 8.  
exigenda sunt. Hisce suffragari philoso-  
phus etiam videtur in historia animalium,  
ubi pronunciat, grandinem *ἐμπεφυ-  
κὸς ἢ ἀναμιχθὲν ἢ τῷ σαρκί*, carnibus innatum  
quid & accretum esse.

Figuram quod attinet, ea grandini  
peculiaris est, neq; cum schorbuto com-  
munis. Rotundo namq; schemate grandinum  
granula visuntur, alteri illi, quæ mista  
imbri largifluo, ex aëre præcipitans ruere  
solet, non dissimili, propemodum unio-  
num æmulo, aut ea repræsentante exan-  
themata, quæ græcis *κεγχρώδη* appellata  
sunt. Præterea suo unumquodq; granum  
ac proprio utriculo, veluti *σεαλώματα* con-  
cluditur,


cluditur, atq; circumscribitur; quibus si quis grandinem annumerare volet, meo arbitrato licebit. In utriculo sive folliculo alba materia inest τῷ πύρρῳ ὁμοία, puri conformis, qua inter assandum ab igni assuescente, crepitare inficia atq; crepare solent, pellicula, qua grando continebatur, hiscente, intestinumq; disrumpente. De situ operæ precium est hoc quoq; addere. Obsidet grando non gingivas, ut Stomacace sive oscedo, sed partes tam linguæ subditas, quàm quæ circa eas in umbra oris velut occultatæ sunt: proximè ab his interiores pernas, quæ emunctoriis accumbunt, & femina omnium frequentissimè. Quapropter in Franconia dum lanarius pernas ustulati jam porci excidit, & facta exploratione approbat, emptori gratulans, sibiq; ipse gaudens exclamat: Vinum affertor: Sus enim mundus est, & grandine vacat. Immaturæ grandinis stamen quoddam apparet etiam in evulsis è dorso fetis, quarum radicibus cruenta sanies subter solet adhærescere, rudimentum futuræ grandinis. His utcunq; saltem homini, si minus humanitati, bellius aliquid suspicienti atq; etiam  
requi-

requirenti interea fatis me fecisse arbitror, dum mansorum veluti ruminatio adcoquenda meditata, vel potius præcipitata accesserit. Quare hîc indagationem sisto meam, mittendo cætera nulli non obvia, teq; ut petiisti, bona cum venia dimittendo.

Macte hac indole mi Alberte, patrisq; tui vestigiis naviter insiste: jam sementem fac optimarum disciplinarum, dum ætatis flos est, quo dein, ubi adoleveris, fructus illarum multo cum foenore possis demetere: ad quod quidem tibi benè ominari nunquam desinam, seriò precando illum, cujus nutu eunt omnia divina pariter atq; humana, ut te in optimorum studiorum stadio decurrentem Spiritu sapientiæ, & intelligentiæ faustè feliciter prospereq; deducat.

A M E N.

DECANVS COL-  
LEGII MEDICI, IN ACA-  
DEMIA VITAE BERGEN-  
si, Salomon Albertus Noribergensis,  
artis medicæ D. & Professor  
publicus.

 St vita nostra, quam in terris  
degimus, ejusmodi, ut ad eam  
sustentandam & aliquandiu  
prorogandam, variis præfidiis  
& adminiculis opus sit. Cùm enim homo  
integritatem eam animi & corporis, in  
qua initiò conditus erat, amiserit, utraq;  
in eo jactura, quantum quidem præsens  
fert infirmitas, sarcienda est, donec ad  
perfectionem suam adducatur, quam ad-  
epturus est tempore *ἀποκρίσεως πάντων*,  
in vita altera. Atq; in sanãdis animi malis,  
quæ disciplinæ præclaram & salutarem  
operam ponant, nemini est ignotum: quæ  
& suo loco ac dignitate jure & meritò  
censentur. Corporis autem incolumitati  
studet *ιατρικὴ*, quæ suis nixa fundamentis  
& præfidiis, tum præsentem sanitatē tue-  
tur: tum si de statu illa declinet suo, aut  
impendentes morbos præcavendo arcet,  
aut

aut in præfenti urgentes tollit ac profli-  
gat. Quinimò & ad animi fanitatem, illa  
adjuventi non parum affert: cùm corpo-  
re malè affecto, mens etiam fæpè ægro-  
tet, ob mirandam horum *συμπάθειαν*, quæ  
fpiritu tanquam vinculo continetur, atq;  
unà cum vita durat & recedit. Quemad-  
modum igitur honeftæ ac liberales artes  
aliæ commodis humanis inferviunt, ac  
pptererea in magna laude, fuo quæq; loco  
ponuntur: ita Medicina, quæ valetudi-  
nis curatio eft, fuam etiam dignitatem fa-  
cilè obtinet, apud bonos & moderatos:  
qui non ex vulgi opinione, fed ex verita-  
te rem æftimant, & honefto iudicio du-  
cuntur. Si enim præclara & jucunda res  
eft, bonæ valetudinis poffeffio, aut recu-  
peratio: quid de ea arte fentiendum eft,  
quæ in tanto beneficio tribuendo ftudi-  
um & operam omnem collocat? Et quã-  
quam finem optatum femper non affe-  
quitur, impedita à cauffis aliis potentio-  
ribus: ficut *πραγμική* non femper vincit:  
tamen theoremata artis certa ac ftabilia  
permanent, quæ cùm τῷ λόγῳ five ratione  
nitantur, fagax ingeniũ multa ex iis col-  
ligit,

D

ligit,



ligit, quæ sat firmitatis habent, & ad tutò  
incedendum plurimum momenti affe-  
runt. Non enim probamus medicū, qui oī  
ratione spreta, usum tantum sectatur, ob-  
servatione eorū comparatū, quæ sæpè si-  
mili modo contingunt: cujusmodi erant,  
qui apud veteres etiā *ἐμπειρικοί* & *τηρητικοί*  
nominabantur. Nā cūm usus & experien-  
tia in particularibus tantū versetur, quæ  
in magna varietate constituta sunt, neq;  
eadem semper facie offeruntur: dubium  
& ancipitem eum, tanquam in salebra  
hærare necesse est, qui rationis adminicu-  
lo destitutus, ad subitum novæ rei occur-  
sum, quò se vertat, & qua via potissimūm  
ingrediatur, ignorat. Qui verò rerum cau-  
sas cognitas habet, ut *ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω*  
p̄spicere possit: is quicquid accidat, versa-  
re se in omnē partem, & imminenti malo  
obviam ire consilio & industria, & de e-  
ventu rei certi quid pronunciare potest.  
Quamobrem utroq; adminiculo fulta in-  
cedit erudita Medicina, *λόγῳ καὶ πείρᾳ*: fa-  
cem præferente ratione, & promptè se-  
quente experientia: cūm hæc sine illa, te-  
meraria sit ac periculosa: illa verò sine  
hac

hac, ab actione omni remota, finem artis,  
quæ sanitatis adeptio est, nunquam con-  
sequatur. Atq; hanc ad rem cum è tota  
philosophia, tū ex ejus ea parte in primis,  
quæ naturæ explicationē profitetur, mul-  
ta assumit erudita & probata Medicina:  
quæ & fundamenta artis stabiliunt, & in  
incremento ac progressueam adjuvant, et  
ad eā tandē, quæ esse potest, perfectionē  
deducunt. Est hæc *σύνολος* & illa *πρᾶξις*  
physicæ ac Medicinæ, ab Aristotele cele-  
brata, qua rivuli quidam cognitionis vni-  
versæ rerum naturæ, è fontibus physicæ  
ducuntur, ad exercitationem medicam:  
cum physici per se munus sit, res in natu-  
ra contemplari: medici verò, operi se ac-  
cingere, ut usus artis appareat, de quibus  
in præsentia non plura. Cum igitur ars me-  
dica divinitus hominum generi data sit,  
adversus eam miseriarum communium  
partem, quæ morbis variis ac innumeris  
hominem affligit: grata mente agnoscen-  
dum est illud divinæ benignitatis argu-  
mentum ac testimonium. Atq; tum ars  
ipsa magni æstimanda est, quam Deus  
olim studio, usu, et collegiis docentium,

D 2

con-

conjunctam esse voluit, cum sacrae religionis professione: tum ii in honore habendi sunt, qui doctrina & usu artis instructi, operam suam aliis praestant, & salutari medicatione de multis bene merentur, in communi hominum societate. Quia vero spectata nobis & explorata est publice ac privatim, eruditio & exercitatio in hoc genere disciplinae, viri doctissimi & honestissimi. M. ERNESTI HETTENBACHII MERGETHVENSIS, Fr. decretum factum est à Collegio nostro, ut progressus ejus in arte medica testimonium publicum ei tribuatur, & honores ac ornamenta accipiat, quibus haec etiam studia decorari solenniter, & ad alios commendari solent. Id quod, Deo fortunante, futurum est ad proximum diem Martis, hora VII. matutina, in aede sacra, quae arci oppidi est adjuncta. Cumque renunciationem eam testimonij, in frequentia aliqua fieri conveniat: hortamur universos, qui studiorum causa in hac Acedemia vivunt, ut indicato loco & tempore adsint & quae in congressu illo publico dicentur ac peragentur, placide



dè cognoscant: atq; hoc etiam officio  
testentur, se & erga D E V M gratos esse,  
qui scientiam & usum artis medicæ  
hominibus monstravit, & ipsam  
hanc artem amare ac ma-  
gnifacere. P P. X V I I I


April.

ANNO CHRISTI  
C I O I O X C I .

N O R I B E R G A E

*In officina typographica Katha-  
rina Gerlachia.*





U. 3943

(X 2203516)

TA 70X

hr





ORATIO DE  
**VRDITATE**  
ET MUTITATE:

QUESTIO

*An, & quid Grandini in sue  
cum Schorbuto in homine sit  
commercii:*

SALOMONIS AL-  
BERTI MED.

Pronunciatae in aede arcis, insignia  
Doctoris accipiente

ERNESTO HETTEN-  
BACHIO MERGETHV-  
MENSI FR.



NORIBERGAE.  
ANNO  

---

CIC IO XCI.